

ea sit facta, sine modo, quo acciderit, simpliciter, de eo dicit cap. 4, num. 34 : « Pater quoque, qui solus domi remanserat, veniens ad filios suos, appositus est ad eos. » Breve autem tempus videtur in monachatu exegisse; nam cum aliquantum tempus ibi fecisset, ut illico addidit Guillelmus, obiit in senectute bona. Chrysostomus Henriquez illum inscripsit suo Menologio Cisterciensi ad diem 23 Maii. Mabillonius in notula ad librum primum Guillelmi biographi, hæc breviter de ipsius morte ac monastico instituto observat e Necrologio S. Benigni III : Idus Aprilis obiit Teseelinus monachus, pater domini Bernardi, abbatis Clarævallensis.

§ VIII. *Cœnobium Trium fontium vaticinio ac miraculo a viro sancto condecoratum; an Christi anno 1119, suos miserit in Lusitaniam; recessu a negotiis ad res magnas exsequendas præparatur.*

81. Manricus ad annum 1118, cap. 3. num. 1, narrat, aliud cœnobium a Guillelmo Campellensi, de quo antea diximus, constructum esse in sua diocesi Catalaunensi, ut se Bernardo arctius devinceret, colonia illuc e monasterio Clarævallensi transmittenda, quam abbas sanctus designaret; loco nomen inditum Trium fontium (*Trois-Fontaines*) forte a fontibus ibidem scaturientibus, ac Bernardi Patris filiam fuisse primogenitam. De hoc monasterio agit Jongelinus pagina 38. Mentionem porro ejus hic facimus, propterea quod vir sanctus insigni vaticinio, ac postmodum etiam illustri miraculo illud condecoravit. Vaticinium habemus e Guillelmo biographo cap. 7, ubi illud legi potest. Miraculum vero ita breviter refert Gaufridus monachus Clarævallensis lib. iv. Vitæ, caput 7 editionis Mabillonianæ, numer. 41. « Cum venisset aliquando Pater sanctus ad monasterium Trium fontium, oblatas est ei clericus quidam ex his qui regulares nominantur, homo grandævus et cæcus. Imposuit ei manum, et brevem ex more fecit orationem; et eadem hora videntem illum remisit ad ecclesiam suam. »

82. Annus proxime sequens 1119, apud allegatum identidem Annalistam cap. 3, narrationem continet controversiæ historiciæ, an videlicet S. Bernardus ascetas a se lectos miserit tum temporis in Lusitaniam, vitæ monasticæ institutum ibidem propagaturos. Affirmat Brito lib. 1, cap. 2, sed eidem varia argumenta opponit Manricus; factum ex illo sic exponens cap. 3, citato num. 1. « Bernardo Patri post laudes matutinas in sacro Præcursoris festa præsentis anni, eundem Præcursores apparuisse, jussisseque ut in ultimas Hispaniæ oras, quæ occidentem respiciunt, monachos mitteret, exigendo (*leg. erigendo*) cœnobio, et sacrando sub ejus nomine, Bernardus Brito constanter asseverat lib. 1, cap. 2, neque id ubilibet, sed loco prius e celo designando, quo succendentia miraculis miracula, et priora posteriorum spem augerent, et posteriora firmarent priorum fidem. Mittendos rursus eremitam inventuros in illis partibus, cujus consilio et auxilio si uterentur, feliciter negotium consummarent. Tunc Bernardus

dum selegisse monachos octo, Boemundum, Albertumque; illum abbatem futurum, hunc priorem; Joannem, Bernardum, Sisinandum, Rolandum, et Alanum (nam octavum anonymum reliquit) atque eos omnes Lusitaniam transmisisse post breve tempus, addita epistola scripta ad eremitam Joannem Ziritam nomine (nam et nomen Baptista revelaverat) breviter rem perstringens, » cujus verba recitat ex Brito Manricus qui deinde subdit ista num. 3, et seqq.

83. « Quo tempore Bernardo in Claravalle Præcursor Christi gloriosus apparuerat, Joanni Ziritæ visum in Lusitania eremiticam vitam agenti juxta Barosum fluvium, idem auctor affirmat, auditumque de adventu monachorum, et monasterio per eos ædificando, quo nimirum non quærent ignarum, aut rogarent invitum, sed expectantem. Hæc fusius Brito concernentia præsentem annum : nam cætera sub initium sequentis gesta. Verum nos, ne lectorem distrahamus, consecutiva serie hic subjiciemus. Igitur monachi a Bernardo parente missi, superato Pyrene ad medium hiemis et tota fere Hispania peragrata, Lamacæ terminos (*Lamego* hodie appellant) applicuere. Ibi Joannes Ziritus obvius factus, ipsa comprobatione vaticinii confirmavit hærentes, et jam jamque pertæsis longum iter, pretium fecit apparere supra laborem. Lusitanis imperabat Alphonsus primus, Henrici comitis filius, tunc ipse comes, post regio titulo etiam insigniendus. Hic oriundus ex duobus Burgundiæ, eoque Bernardo Burgundo jam fama celebri, carne simul et spiritu conjunctus facile potuit a Joanne persuaderi, ut terram, quam eligerent, daret Bernardi filiis, donatione firmata privilegio, quod non posi multos ab adventu virorum dies, apud Araducam (vulgo *Guimaranes*) idem rex expedit in hac verba, » quæ ibidem proferuntur e Brito. Signatur autem : « Facta charta... Kalendas Martii, æra millesima centesima quinquagesima octava », quæ coincidit cum anno æræ vulgaris 1120. « Pyrenem vero subjugatum, » uti subdit Manricus, « in ipsa hieme, dies ostendit, quippe prima Martii, seu melius dixerim, prima post tempus hiemis, ut vel totos tres menses otiosos fateri necesse sit, si ante ipsos appulsi nihil fecerint; vel intra ipsos Pyrenem transmeasse, brumali nive et frigore rigentem. »

84. Porro quæ deinde idem Manricus num. 6 et 7 enarrat e Brito, « Boemundum nempe parvas cellas construxisse sibi et suis...; inde fulgente in media nocte luce signatum locum...; felix auspiciam construendo cœnobio; atque horum testes epistolas Boemundi ad Joannem, » et hujus ad illum, quorum exempla ibi produciuntur; « Lusitanum illustrem principem... et cunctos proceres (inter quos Bracharensis archiepiscopus) miraculorum conscios contulisse subsidia in opus fabricæ, atque in divini cultus celebrationem; illum marcas argenti septuaginta, ex quibus cruces et alia yasa conficerentur; hunc vestes sacras, quibus utebatur ad missarum solemniam peragenda; » hæc, inquam,

ex iis, quæ ibi pluribus deducuntur, hic compendio contraxisse, sufficiat. Quibus ita expositis, operæ pretium est audire argumenta, quibus in dubium revocat Manricus modeste quidem, sed tamen apposite, historiam superius memoratam. Hæc itaque adversus illam affert.

85. « Primo, inquit num. 8, et quod caput omnium est, difficultatem ingerit Bernardus Pater, qui paulo post hunc annum, sed revera post ipsum, ut mox ostendam, contemporaneo, et eo abbati suo Artando [*al., Artaldo, Artaudo*] abbati Pruliacensi (ordinis Cisterciensis in diocesi Senonensi, vulgo *Prully*) fundationes Hispaniæ dissuadet; quippe in longinquo positas, quæ non expediat filios relegare. Habes epistolam Sancti satis apertam, ad eundem scribentis in hæc verba epistola 75. « Audi... ego de te, quod de sancto Conventu tuo abbatiam in Hispania construere velis. Quod mihi mirum in magnam admirationem venit, quid causæ videlicet sit, quid consilii, quidve utilitatis, quod filios tuos exulare cupis, in locum utique tam longinquum, tanto sumptu et labore et quærendum et ædificandum. » Hæc Pater sanctus : qui si jam in Hispaniam misisset filios, nunquam ab alio mittendos condemnaret. Sicine enim dissuaderet, quod ipse fecerat? Porro epistolam quod hunc annum scriptam vel inde constat, quod Pruliacum (cujus abbas Artandus erat) præcedenti, nempe millesimo centesimo decimo octavo fundata domus, non potuerit de edenda prole tractare, vix dum professis filiis, quos admisisset, et quos fundatum esset transmissum [*f. transmissurum*]. Certe neque Claravallis, quæ fecundissima, ante tres annos, nec Bonavallis, ut minus ante quatuor, nec reliquæ ante plures parturierunt.

86. « Ergo epistola scripta post hunc annum, sed ante 1122, quod dilatatus ordo per Germaniam sine ullo periculo, minus patebat ejusmodi timoribus. Unde non mirum, si annis subsequentibus, Christi nimirum 1136, idem Sanctus, mutato jam consilio pro modo temporis, et eventuum experimento, monachis suis Hispaniam nobilitaverit, primum Morerolense (Moreruella in diocesi Zamorensi) de quo inferius, mox plura alia cœnobio fundaturis, sive reformaturis, quod ipsa historiæ series demonstrabit. » His Manricus rationibus, ex dicta sancti Bernardi Epistola, ac tempore petitis convenit Lusitanam historiam. Verum ad tempus epistolæ quod spectat; longe a Manrico dissentit editio Mabilloniana Operum sancti Patris Bernardi col. 76, ubi ea innectitur anno Christi 1127, in qua chronologica ratione quanto magis receditur a tempore, quo Brito alligat miram illam Cisterciensium coloniam Lusitanam, tanto magis ostenditur, seclusis etiam aliis argumentis, illam non satis subsistere.

Præter argumentum vero, quod ex dicta epistola desumpserat Manricus, aliud promittit ex ipsa historia rei gestæ, num. 9, ita loquens : « Ipsa historia ex se nobis suspecta, quædam neque pauca involvit, quæ

minus redolent antiquitatem illius temporis, quod eo anno Lusitaniam Alphonsus regeret; quem tamen vel ætate imparem tunc, quippe decennem tantum; vel matre retinente sibi dotalia bona, adeoque Lusitaniam principatum, non ante annum vigesimum octavum evectorum solio, producto etiam ejusdem Alphonsi testimonio, probat III p. Monarch. Lusit., lib. VIII, cap. 26, late Brandaonius regius scriptor, et longe callens Lusitanas antiquitates, quod princeps conficiendis ex eis crucibus, septuaginta, et eis amplius, argenti marcas; quod vestes sacras Bracharensis archiepiscopus, quibus ipse utebatur, monachis dederint; quos tamen constat, nec crucibus argenteis illis temporibus, nec ex serico vestibus, quales decebant magnum Ecclesiæ præsulem, juxta propria instituta uti potuisse; quod Bernardus filiorum amantissimus, hiemis medio algentes et pene nudos, quippe duabus tantum laxis indutos vestibus, Pyrenæi nivibus improvidus objecerit, nec tempus opportunius, cum potuisset, sive præveniret, sive etiam expectaverit. » Hæc Manricus. Adde, quod Alphonsi cum Bernardo consanguinitas nimis longe quæsitæ sit, atque adeo non satis apte præsentis historiæ assuta, ex supra allegatis § 1. num. 12.

87. Alterum Manrico num. 10, adversus Briti coloniam argumentum præbet « Morreolæ cœnobium sanctissimis Froilano et Atilano quondam, illo abbate, hoc priore, præ aliis celebre, quod, ipsa etiam historia fatente, quam hausit Brito, neque ipso id audente denegare, Cisterciense institutum in Hispania primum suscepit. Et tamen constat, nondum suscepisse post annos decem. Certe ut maxime Cistercium ei præluxerit, exspectavit quinquennium, quod suo loco videbimus : sed et huic lustro lastrum aliud additum, ne ipsi, quidem, negant auctores Morerolenses, ea nimirum contenti antiquitate, cui ex instrumentis antiquis certa fides, concordantibus præcipue Clarævallensibus atque Cisterciensibus tabulis, nec reclamante aliquo instrumento sive auctore, quem ego viderim. »

88. Extremum denique argumentum sæpe dictæ transmigratori Lusitanæ a Manrico oppositum desumitur a conglobata variarum rationum congerie. En tibi illam ipsius verbis numer. 11. « Quid, quod epistola, quæ ex Bernardo Patre profertur, Bernardum minus sapit? Quid, quod in ea revelatione refert, quod nusquam alibi ab eo videmus factum? Quid, quod cæteri auctores eandem sileant, et tot apparitionum, miraculorumque velut congeriem inveniuntur tacuisse, qui narrant minima? Quid, quod omnes antiquæ memoriæ ordinis monasterium S. Joannis de Taronea in Lusitania post plures annos affirmant fuisse constructum, anno videlicet 1131. Quid, quod cœnobio ab eo anno frequentia, et crebris foundationibus prolifica, etiam per longum tempus ante eum annum aut prorsus inaudita, aut, si quod fuit, sterile permansit? Nam quod de S. Christophoro vulgo de la Foens, Brito subjungit, eam-

dem prorsus difficultatem patitur, ut suo loco videbimus. Tandem Manricus, praesentem controversiam concludens, « Hæc, inquit, dubitandi magis quam decernendi fine a me proposita, lectori perpendenda relinquo, iudicii anceps, et neque omnino affirmans, nec plane negans. » Sic ille pro sua modestia. Nos vero, quorum nihil interest, seriusne an citius vinea Cisterciensis seu Claravallensis palmites suos extenderit usque ad mare, in Lusitaniam, inquam; longe potiores partes deferimus Manrico, qui nobis videtur adeo plene ac plane controversiæ præsentis causam evicisse, ut Briti historia, quam hic refutat, valde suspecta censi debeat. Unde etiam sequitur, ut duæ epistolæ de monachorum Claravallensium per Bernardum in Lusitaniam missione, quarum altera ad Alfonsum regem Portugalliae; altera ad Joannem Ciritam, utraque sub nomine Bernardi antea editæ, non immerito videantur rejectæ in Appendicem epistolarum ejusdem sancti Patris, quæ in editione Mabillonii col. 371 et 372, post genuinas ipsius epistolas, habetur. At de his plus quam satis. Nunc in Galliam, et ad gesta sancti abbatis nostri in Claravalle revertamur; de quibus Manricus varia edocet ad annum proximum 1120.

89. Postquam igitur ibi cap. 3, num. 1, auctor ille tractasset de claris in sæculo viris, qui sancti abbatis aut magisterio allecti, aut jugi prædicatione solliciti, Claravallense contubernium amplectebantur, ac de subsidiis ad illud promovendum necessariis; successisse ejusdem familiæ lætis tristitia subdit. Nam « inter prospera, ait Annalista idem numer. 2, quo minus sibi fiderent, dura alia et adversa passi sunt, Bernardo Patre a filiis separato, dubium suo, an suorum majori luctu. Causa ex ipso; quippe dum nimio rigori, quem supra diximus, corpore prius quam spiritu succumbit; ac supra vires actæ poenitentiae, quamvis serio, sero tamen poenitet; Conventum fratrum, quem diutius retinuerat, tandem deserere, et seorsim habitare, coactus est, Deo, ut apparuit, ita disponente, quo a communibus illis expeditus, ex tunc jam non aut sibi, aut suis tantum, sed aliis, imo universæ Ecclesiæ viveret magno totius Christiani orbis profectu, ejus opera in omnibus usuri. » Factum narrat Guillelmus in Vita, lib. 1, cap. 5. Porro de nimio illo austeritatis excessu ipsemet Pater sanctus sese incusabat; sicut ibidem licet videre.

90. « Sed, ut recte observat Manricus numer. 4, qui ab initio nascentis Ecclesiæ infirma mundi eligere consuevit, ut fortia confundat, per hanc ipsius inutilitatem copiosissimum fructum præparavit. Quippe feriato a conventu, ut dicebamus, ipsa ægritudo ex vacatione tempus ad negotia, ex pallore gravitatem in vultu, ex imbecillitate pondus in verbis, atque ex dissolutione velut instante cunctorum estimationem conciliabat; et erat velut fugitivæ vitæ major usura, timore, ut solet, urgente desiderium, commendante pretium metu jacturæ. » Consule Vitam, capite mox citato, sub finem. Otia itaque illa vi-

rum sanctum ad summi momenti negotia, quæ inde sunt subsecuta, egregie comparantur.

§ IX. *Præmonstrati locus an Præmonstratensibus a S. Bernardo datus; hujus erga illos, ac S. Norbertum affectus; mutua Ordinum Cisterciensis ac Præmonstratensium officia cum elogiis.*

Sanctos Bernardum ac Norbertum, nobile amicorum par, hoc loco proponere est animus, Manrici exemplo; qui, tametsi de illis agat ante Bernardi a suis separatione, de qua jam dictum est, argumentum tamen præsens intexit eidem anno 1120, in quo et nos modo una cum ipso versamur. Ad hunc itaque annum cap. 2, num. 1, laudatus Annalium Cisterciensium collector in rem nostram congerit sequentia: « Sub idem tempus magnum Ecclesiæ lumen Norbertus... regularium canonicorum illustrem ordinem, Præmonstratensem a primo loco dictum, magno totius Ecclesiæ bono instituit... Hunc beatissimi Patris Bernardi, cui prius traditus, largitate obtentum, multis aliis spretis, Norbertus prætulit, aptum ex se, et commendatum ex donante, faciendis fundamentis suæ familiæ. Rem quia concernit ordinem illustrem, et Cisterciensi non solum coævum, sed familiarem, paulo altius repetito principio declarabo. » Narrationem itaque hujus facti prosequitur num. 2 et 3, quæ apud ipsum legi potest. Sufficit ad nostrum propositum, quod locus Præmonstrati ante fuerit Cisterciensium, quam transierit ad Præmonstratenses, Bernardi videlicet munere. Id quod ipsemet sanctus doctor expresse affirmat in epistola, ad abbatem de Præmonstrato post obitum S. Norberti scripta, quæ est ducentesima quinquagesima tertia apud Mabillonium col. 250, hoc inter alia beneficia recensens Præmonstratensibus a se collata: « Primo quidem locus ipse Præmonstrati, in quo degitis, noster fuit, et nostro munere habuistis. Nam nobis frater Wido (hoc nomen primi incolæ loci) per manum episcopi ante donaverat. »

92. Locus hujus epistolæ non caret difficultate cui occurritur in notis apud Mabillonium hic: « Nonnulli hic hærent in explicando Bernardo, quod certum sit, Præmonstrati primam ecclesiam, sancto Joanni Baptistæ sacram, a Bartholomæo Laudunensi episcopo concessam fuisse Norberto ex commutatione facta cum monachis S. Vincentii Laudunensibus (vulgo S. Vincenti de Laon) ad quos pertinebat, teste Hermannus (monacho Laudunensi) mox laudato in lib. III, cap. 4. At in cap. 10, tradit idem auctor, testis oculatus « ex altera montis parte majorem ecclesiam » postea ædificatam ab Hugone abbate, cum adjuncto insigni monasterio: cujus locus, aut certe ejus portio, a Bernardo seu Cisterciensibus, qui eam a Widone eremita acceperant, indubie Præmonstratensibus obvenerat. Quid Bartholomæus ipse contulerit, docet ejus epistola in Appendice hujus tomi col. 385. Vide notas fusiores apud Mabillonium ad supra dictam epistolam 253, col. 74, ubi citatur Hermannus monachus, lib. III, de Mirac. beatæ Mariæ Laudun. cap. 4, hæc dicens: *Venientes itaque ad*

« præfatum locum Præmonstratum, ingrediuntur, a orandi gratia, quamdam ecclesiam in honore S. Joannis Baptistæ ibidem constructam. Hæc erat de jure cœnobii S. Vincentii Laudunensis, » etc. Ex quibus quidam nuperus scriptor in not. ad Vitam S. Norberti cap. 19 (Vide quæ dicam paulo post) hæere se testatur in explicanda Bernardi concessionem, quam a monachis Vincentianis per manum Bartholomæi episcopi factam legit.

93. « At, quamvis sexcenta id generis in contrarium argumenta starent, Bernardi verbum ineluctabilem obtinere debet auctoritatem: et siquidem rem paulo diligentius consideraveris, pugnantia facile conciliabis. Certum enim est Præmonstrati cœnobium, in prima sui conditione non eo in loco situ fuisse, quo primum a S. Norberto fuerat institutum: sed in altera montis parte, ad quam Hugo Norberti successor, cui hæc epistola dirigitur, illud transtulerat. Cujus rei meminit idem Hermannus tum loco citato, ibi prævisionem sancti Norberti de cœnobii translatione refert; tum ibidem cap. 10, ubi Præmonstrati mutationem sic describit: « *Videns autem Hugo ecclesiam illam parvam* » (nimirum S. Joannis Baptistæ, quam monachi Vincentiani concesserant, uti præmiserat cap. 4), « *jam non posse sufficere tantæ multitudini, quæ convenerat, et per Dei gratiam quotidie augmentabatur; sciens etiam dominum Norbertum, ut superius dictum est, in spiritu prævidisse, quod ex altera montis parte major ecclesia foret ædificanda, inito cum fratribus suis consilio, D. Bartholomæum episcopum, utpote loci fundatorem et patrem, advenire rogavit quatenus, dispositis omnibus officinis, ipse primum lapidem in ecclesiæ fundamento poneret.* » Fuerit ergo prima illa sedes seu ecclesia a nostris (id est Benedictinis monachis) Vincentianis concessa: sed quid prohibet secundam hanc a S. Bernardo, qui eam a Widone eremita prius acceperat, Præmonstratensibus concessam? Legantur epistolæ duæ Philippi abbatis Bonæ-Spei, quibus hæc respondere videtur. »

94. Locus itaque Præmonstratensibus a S. Bernardo concessus, et ita explicatus, neutquam repugnat litteris foundationis Præmonstrati, quæ confectæ fuere nomine Bartholomæi episcopi Laudunensis, et in quibus locus ille dicitur pertinuisse ad Vincentianos monachos, nec non S. Norberto traditus ab ipso Bartholomæo, cui primum ab Adalberone, S. Vincentii abbate, rem postea confirmante Seifrido ejus successore, fuerat concessus; uti in citatis fusionibus notis licet videre, ubi citantur litteræ jam dictæ. Adis nostrum tomum I, Junii die VI, ejusdem mensis pag. 862 et sequentibus, ubi inter Analecta Norbertina cap. 2. profertur triplex Bartholomæi episcopi Laudunensis diploma, et expenditur difficultas superius proposita et soluta; sed modus illam extricandi, qui ibi apud nos pag. 864, datur non adeo mihi arridet, quam ille, quem paulo ante e laudatis notis protuli. Quidquid vero rationum contraria donationem hic controversam protuleris; Ber-

nardi verbum, ut supra recte dicebatur, ineluctabilem obtinere debet auctoritatem; qui videlicet optime scire poterat ac debebat, nec non in recentissima memoria habebat, quid dedisset et quibus; item a quo, quo tempore ac modo id, quod postea dedit, antea accepisset. Neque porro satis perspicio, qui hoc negari possit, nisi viro sanctissimo macula inuratur imprudentiæ simul ac impudentiæ, nec non apertæ falsitatis, ne dicam mendacii. Quod absit. Miror itaque veritatem hujus donationis ab auctore quodam Præmonstratensi non satis cognitam, atque adeo non satis secure approbatam fuisse; quam alius Cisterciensis defendendam suscepit labore, ut mihi quidem apparet, minime necessario, imo supervacaneo; quia standum est Bernardi verbo; si Præmonstratensium hanc questionem non sparsisset in publicam lucem. Rem intellige ex sequentibus.

95. Exstat inter notitias, quas apud me habeo de S. Bernardo, manuscripta dissertatiuncula, qua breviter demonstratur, quomodo sanctus Pater Bernardus in epistola sua (252 al. 253) vere dicat, DD. Præmonstratenses ipsum locum de Præmonstrato habere munere suo. Accepe Dissertatiunculæ exordium: « R. D. Polycarpus de Hertoghe, religiosus S. Michaelis Antuerpiæ, ordinis Præmonstratensis, in notationibus suis in Vitam S. Norberti (prodiit hæc Vita cum notationibus, anno 1636, typis Plantiniani, Antwerpiae) ad cap. 19, foliis 346 et 348 scripsit, se non videre, quomodo S. Bernardus, epistola 252 dicat, Præmonstratenses ipsum locum de Præmonstrato habere munere suo: eum ex diplomatibus Bartholomæi episcopi Laudunensis (quorum partes producit) elare pateat, dictum locum, qui prius erat monachorum sancti Vincentii Laudunensis, ab ipso episcopo datum S. Norberto et Fratribus ejus, facta commutatione utiliori ipsis monachis: nisi forte idem S. Bernardus seipsum adnumeret Benedictinis monachis S. Vincentii, ratione ejusdem regulæ; vel, cum dicitur monachos S. Vincentii, antea diu locum illum incoluisse, illud *Diu* longe in antierius tempus extendendum sit, quo eorum locus iste fuerit. Quæ rationes frivola nimis sunt; in tantum, ut operæ pretium duxerim illas breviter hic refutare, aliasque solidiores producere. » Supersedeo illas hic transcribere. Sufficiunt enim, quæ jam dictæ sunt. Post dissertatiunculæ finem auctor Carolus de Visch, religiosus Dunensis: Componebam, inquit, anno 1663, mense Junio. His itaque frivolis argutiis relictis, priorem semitam relegamus, et sancti doctoris erga S. Norbertum venerationem atque adeo amorem comprobemus.

96. Epistola 8 ad Brunonem Coloniensem electum, postquam S. Bernardus ab eo fuisset consultus de acceptando episcopatu Coloniensi, inter alia sic scribit in ejusdem fine: « Habetis autem dominum Norbertum, quem melius præsentem præsens de talibus interrogare potestis. Nam tanto vir ille in divinis aperiendis mysteriis nobis promptior, quanto et Deo propior esse cognoscitur. » Epistola hæc notatur apud

Mabillonium scripta anno 1131, apud nos vero tomo I Junii, quem paulo ante citabam, pag. 815, aptatur anno 1132, vitæ S. Norberti antepenultimo. Brevisissimum quidem est illud, sed illustre tamen elogium, epistolæ 56, quæ est ad Gaufridum Carnotensem episcopum, insertum: « Quod a me de domino Norberto seiscitami, si videlicet iturus sit Jerosolymam, ego nescio. Nam cum ante hos paucos dies ejus faciem videre, et de *Cœlesti Fistula*, ore videlicet ipsius, plurima haurire meruerim, » etc. Honorifica prorsus ista expressio est in calamo Sancti, cum De diversis sermone 22 apud Mabillonium col. 1129, ab eodem doctore cœlestis fistula Ambrosius vocetur. Epistola autem illa 56, apud Mabillonium alligatur anno circiter 1128. His addi potest fragmentum sequens, quod subdo ex epistola 253, superius memorata, ubi sanctus doctor ad abbatem Præmonstratensem, mortuo jam pridem S. Norberto, scribens, anno videlicet 1150, cui in Mabilloniana editione affigitur ista epistola, Vestrum, inquit, Ordinem fovi et promovi semper, quod in me fuit; id quod deinde luculentis argumentis probat; ac denique, excusatis omnibus, quæ ansam dederant querelis (et vero querelas non raro inter amicos optimos intercedere, quis ignorat?) arcum amicitiae nexum cum illis et esse sibi, et fuisse, et futurum profuturum, ita loquens, col. 253.

« Adhærebo vobis, et si nolitis: adhærebo, et si nolim ipse. Olim me alligavi fortî vinculo, charitate non ficta, illa quæ nunquam excidit. Cum turbatis ero pacificus, conturbantibus quoque dabo locum iræ, ne diabolo dem. Vincar jurgiis, vincam obsequiis. Invitis præstabo, ingratis adjiciam, honorabo et contemnentis me. Et nunc tristis est anima mea, quod quacunquē occasione offenderim vos; eritque tristis, usque dum vestra indulgentia relevetur. Si tardaveritis, ibo et excubabo pro foribus; perseverabo pulsans, instabo opportune, importune, donec vel merear, vel extorqueam benedictionem. » Tam altas egerat in intimo sancti nostri pectore radices contracta jam pridem cum S. Norberto amicitia, ut ea tanto cum affectu postea erga Ordinem ejus perseveraverit.

97. Hinc mirum non sit, imo vero ecquis sat prudenter non cogitet, S. Norbertum sancto nostro adeo intime erga se affecto, mutuis æstimationis ac benevolentiae significationibus respondisse, amica ambos inter se habuisse non raro commercia, firmitumque inter eos fuisse necessitudinis vinculum ex eo potissimum tempore, quo conjunctis sacræ prædicationis suæ armis errores Petri Abælardi oppugnarunt? Nam de utroque veritatis pugile intelligendum censeo illud, quod ipse dicit in epistola prima, quæ suo et Heloisæ nomine inscribitur, cap. 12. « Quosdam adversum me novos apostolos, quibus mundus plurimum credebat, excitaverunt: quorum alter regularium canonicorum vitam, alter monachorum se resuscitasse gloriabatur. Hi prædicando, etc. Ita ille, veris eorum laudibus falsam inanis

gloriæ maculam inverecunde aspergens. Quibus autem modis regularium canonicorum fundator S. Bernardo pares favoris vices reddiderit sigillatim, non habeo in promptu documenta, quibus id edoceam, præter illa, quæ Manricus allegat a num. 6. « Quod vero, ait, Bernardum Norbertus pater, nec solus solum, sed omnes ejus filii Cisterciensem familiam monachosque non minore coluerint reverentia, duo mihi argumenta persuadent, utrumque efficax, alterum pro Norberto, pro suis alterum.

98. « Certe in Norberto satis mirum est, quod post acceptum Præmonstrati locum, et in loco cœlesti illud oraculum; post discipulos plures congregatos, per quos visio ex parte jam impleta, in cæteris adimplenda comprobatur; de assumendo nihilominus Cisterciensi instituto, nec ullo alio edendo consultum ierit, quod Acta vitæ ejus satis indicant, dum tradunt, multos religiosos, tam episcopos quam prælatos (haud dubium quin a viro Dei consultos) respondisse diverse, » e Vita apud Surium die 6 Junii, cap. 22, ubi hæc sunt: « Cum autem multi religiosi, tam episcopi quam abbates, diversa consilia darent, alius eremiticam, alius anachoreticam vitam, alius Cisterciensem ordinem assumendum suadentes. » Sancto itaque Norberto cogitanti de ordine instituendo cecidit in deliberationem Cisterciensis, sive ex S. Bernardo, mirifico ejusdem propagatore, sive ex florentissimæ familiæ Cisterciensis propagatione, sive ex utraque simul hæc re ortum duxerit proposita deliberatio.

99. « Verum, ut recte subdit Manricus num. 7, qui novi instituti novum decorem Ecclesiæ suæ parabat per sanctum virum, in eodem vestitu deaurato, varietate religionum circumvallandæ, ne Cistercium Norberto cariturum nullam in ipsius familia partem habere, imminentem occasum vix orti solis imitatione Cistercii reparavit. Nam cum Norberto promotus in archiepiscopum, instaret jam excidium deserto gregi, ea una cunctis concepta spes salutis, si Cisterciensis ordinis statuta, si Capitula annua, si rerum omnium superfluarum contemptum ac rejectionem æmularentur. » Ad isis Vitam S. Norberti apud Surium, cap. 46, e quo delibo ista: Positus et consecratus est ille pater (quem videlicet Norbertus sibi substituerat successorem) « in Præmonstratensi ecclesia, et illi duo (de quibus, ut paulo ante ibi erat dictum, præceperat vir Dei, ut alterum in Antuerpiensi ecclesia patrem, alterum in Florentiensi constitueret) in duabus aliis supradictis. Sed et duo jam alii consecrati erant in duabus aliis ecclesiis, Laudunensi S. Martini et Vivariensi. Isti quinque et sextus, quem ad locum, qui dicitur Bona-Spes, statim post introitum suum abbas Præmonstratensis ablegarat, imminentem dissolutionem ordinis in plerisque locis videntes, et majorem futuram metuentes, ad diem statutum in loco determinato convenerunt, et quidquid ad præsens in domibus suis superfluum videbatur esse, recedentes, deinceps ad exemplum Cisterciensis ordinis, annuatim se reversuros simul

ad ordinis sui sinistra corrigenda firmaverunt. Quod cum in locis aliis divulgatum fuisset, si in primo anno sex, et in secundo novem fuissent, in tertio duodecim, in quarto decem et octo fuere; ita deinceps multiplicati sunt ubique terrarum, sicut voces et actus eorum et opera usque in præsentem diem testantur. » Superiora confirmantur e Vita S. Norberti apud nos tomo citato, cap. 16, pag. 852; in notis autem ad illud caput indicatur, S. Norberto successisse Hugonem primum ejus socium, de quo supra ibi actum erat ad cap. 5. Antuerpiæ Waltinannum, Florentiæ Richardum datos, etc. Item in ecclesia Laudunensi ac Vivariensi consecratos Gualterum et Henricum, de quibus, uti et de eorum monasteriis dictum fuerat ad cap. 13. Sextus ille supra anonymus, est Odo, primus cœnobii Bonæ-Spei in Hannonia prope Binchium oppidum, ut videre datur in mox assignatis notis. Observa denique ista obiter de tempore Capituli jam dicti: « Ordinavit ac præcepit vir sanctus, ut ex omnibus ecclesiis, quæ vel in vita sua, vel post obitum institutionis ac regulæ suæ normam sequerentur, universi abbates ac præpositi singulis annis in festo S. Dionysii ad Præmonstratensem ecclesiam... convenirent, simulque congregati capitulum generale eodem loco celebrarent, » teste Joanne le Paige, in Bibliotheca Præmonstratensis ordinis, parte 1, lib. II, cap. 34, e quo hæc retuli.

100. « Porro hæc et similia, uti num. 8, concludit Manricus, similitudinis atque item amoris mutui vincula adeo utramque familiam devinxerunt, ut auctores antiqui de utraque, et vix de una loquantur, alia ommissa. Audi Robertum, Sigeberti continuatorem: « His temporibus ordo canonicus Præmonstratensis, et monasticus Cisterciensis, quasi duæ oliivæ in conspectu Domini, pietatis lumen et devotionis pinguedinem mundo ministrabant, et quasi vites fructiferæ religionis palmites circumquaque propagabant, » etc. Audiatur etiam Laurentius de Leodio in Historia episcoporum Virdunensium, qui tomo XII, Spicilegii Acheriani, editionis prioris, pag. 325, posterioris autem tomo II, pag. 255, utrumque ordinem conjungens charitate, meritis, et laudibus: « Subsecuta sunt, inquit, deinde illa duo cherubin expandentia alas suas in medio Ecclesiæ, et versis vultibus in propitiatorium se mutuo respicientia, id est, duo præclarissimi ordines devotione sua Ecclesiam protegentes, et conversis ad Deum cordibus se mutua charitate æmulantes, quorum unus Cisterciensis, duce Bernardo sanctissimi nominis abbate, monasticum ordinem, jam pene lapsam, ad primam Apostolicæ vitæ normam reparavit: alter merito et nomine a Deo Præmonstratus, duce Norberto Parthenopolitano archiepiscopo inceptus, ecclesiasticum ordinem de luto mundanæ vanitatis excussit. Credas hos duos ordines esse de libro Apocalypsis duos prophetas circa finem mundi a Deo missos, et sacco penitentiae amictos, duas olivas clementiæ cœlestis, diviniæque duo candelabra gratiæ. Ita se in omnibus cruciant, ita verbo fidei mundum irrigant, ita me-

ritorum luce illuminant, etc. His de nobili et sancto amicorum pari, et de præclarissima utriusque familia tractatis, vocamur ad res Bernardinas, prout exigit instituti nostri finis, ulterius prosequendas.

§ X. *Vacatio a negotiis compensata otio sancto; muscæ miraculo interfectæ; mira sermonis vis in conversione aliorum; apparitio de salute eorum, qui rite perseveraverint in ordine Cisterciensi; peccatores per miraculum a sancto Patre ad frugem adducti.*

Annum proxime sequentem 1121, auspiciatur Manricus a sancto Bernardo, qui sejunctus a suis filiis, quo negotiis aliorum magis vacabat, eo magis a Deo illustrabatur tam per sapientiam cœlitus infusam, quam per miracula. De utroque hoc divinæ erga virum munificentiae charismate consule Guillelmum in Vita, lib. I, cap. 5. Et vero tempus, quo vacabat a negotiis, otio sancto compensabat. Nam, referente Alano, cap. 10, num. 32, col. 1248, apud Mabillonium, feriatas a labore vel opere exteriori, jugiter aut orabat, aut legebat, aut meditabatur. Quænam vero per hæc tempora scripserit, narrat Manricus num. 6 et 7. Ad hæc, quæ refert idem Annalium Cisterciensium concinnator, cap. 3 et 4, de dissensionibus e frequenti monachorum nigrorum ad albos transitu, ac epistolis sancti Bernardi hac occasione exaratis, non video nostra interesse tanti, ut pluribus huc sint transcribenda; uti nec illustre prodigium de muscis sancti verbo interfectis; cum illud exponat Guillelmus lib. I Vitæ, cap. 6, num. 58. At quid de sancti abbatis prædicationibus?

102. « Vigebat (utor verbis Manrici ad annum 1122, cap. 6.) Bernardi Patris zelus, et multos litteratos, multos nobiles, multos potentes de seculo trahebat. Quippe vix unquam Claramvallem aggrediebatur (leg. egrediebatur), quin agmen novitiorum secum reduceret, implendo apibus cœlesti illo alveari, unde examina nova in dies prodirent. Guillelmus Alanusque in Actis ipsius Catalaunensi captivæ (nam sic vocant, a piscatione nomine mutuato) Parisensem subjungunt, quam ideo suspicor contigisse circa hunc annum. (De fructuosa ipsius prædicatione agunt Guillelmus in Vita, lib. I, cap. 7, et Alanus, cap. 15.) Cæterum Parisiensis, qualis fuerit, et qualiter conatus primum irritus, mox fructuosus, ac demum accessione facta superabundans, novitiis Claramvallem, angelos gaudio, et totam Galliam admiratione repleverit, auctor Exordii magni memoriæ prodidit, idque a Rainaldo tunc Bernardi socio, post Fusniaci abbate... veritatem edoctus, qui præsens fuit. » Rem narrat Exordium magnum a Tissierio vulgatum, distinctione 2, cap. 13: *Quadam præterea vice, cum vir Domini Bernardus, causa exigente, Parisius adisset, rogatu clericorum ingressus est de more scholarum eorum. Quibus ostendens formam veræ philosophiæ, monebat eos attentius de mundi contemptu, et subeunda pro Christo Domino voluntaria paupertate. Explicito vero sermone, cum nemo ex eis converteretur, tristis egressus est, eo quod præter votum, ut præter solitum, id ei accidisset.*